SAMMELHANDSCHRIFT

Entstehungsort unbestimmt (u. a. Neustift), 15. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35497
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

illi inquam domino qui bona tribuit michi. Sic ergo exterior
cantus ad laudem dei plenus et integer id est intentus et devo
tus ut in amore cantando efficiaris amplius amorosus
et amore languens, fit iuxta apostoli doctrinam psallas spiritu
psallas et mente. spiritu id est vocis melodia secundum glosam. mente
id est mentis intelligencia. Secundo quod excutit lacrimas ab a
mante est cum de separatione rei dilecte pertractat. Sic david
et Jonathas in mutua separatione flevisse leguntur, david
autem amplius flevit quia amplius amavit. Scriptum
est enim ibidem quod osculantes se mutuo fleverunt pariter.
david autem amplius. Sic timor separationis dico ab amo-
re est quasi altera mors fletum inducit in amante. Iste
autem amor comitatur amorem languentes, et ideo cupiunt
dissolvi et esse cum christo in celo ubi numquam separabuntur ab eius
intuitu et eius amore. Tertium signum amoris exta
tici est pulsus inordinatus. Quilibet enim amorosus carnalis
habet pulsum aut nimis tardum aut nimis frequentem
et velocem secundum diversas apprehensiones quas habet de re ama
ta. Tardus est enim pulsus amantis dum desperat de re di
lecta habenda, velox dum sperat se a re amata vicem amo
ris deportare. Pulsus autem languentis in amore dei af
fectiones sue sunt quia veloces sunt et quasi cum mirabili ce
leritate tripudiare videntur dum sperat se consequi dilectum
suum. Et talem apprehensionem habebat qui dicebat in psalmo. Cor
meum et caro mea exultaverunt in deum vivum. Cor meum
dicit id est cogitacio mea, caro mea id est affectio mea exul
taverunt id est extra me saltaverunt tendentes supple per
spem in deum vivum. Cum autem anima amore languens peccata
sua et periculum suum considerat videns autem meliores et for
tiores se cecidisse quodammodo cogitur lentescere et ille affec-